



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXV. Externi virtute insignes quid de Ignatio senserint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

talisse. Veritatem eius historię confirmat, quod ea priusquam in lucem daretur, iubente Francisco Borgia censuram subiit virorum grauium de Societate, quorum nonnulli valde familiariter cum Ignatio egerant. Postquam vero in lucem exiit supersticibus adhuc eiusdem familiaribus antiquis patribus non paucis, in quibus tres primorum eius sociorum, qui falli quicquam in ea argueret, auctori compertus est nemo. Ea demum historia Latine Neapoli edita cum super mensam in triclinio legeretur, audirentque patres qui Romam conuenerant ad Generalem congregationem anno 1573. Mercurianus tunc Societati ab ea Præpositus Iacobo Ximeno (nunc vsque in viuis agenti, olim Societatis Romæ Procuratori, & Secretario Generali) negotium dedit, vt suo nomine Patres omnes Congregationis seorsum singulos adiret, de illa historia quid sentirent, notassentne dignum emendatione; nihil æquè auctorem auere, quam vt opus illud certa conitaret veritate, & si quid in eo minus probaretur tantorum virorum corrigeretur sententia. Patrum tamen neminem subiit de veritate historię, vel quicquam ambigere, vel alicuius momenti quicquam opponere, quod Ximenius suo chirographo abundè testatus est, fuerant autem ex iis Patribus multi Ignatio perfamiliares, vt Salmeron, Bobadilla ex primis ipsius sociis: Domenechus, Polancus (totos nomen annos eidem ab secretis, eiusque veluti pes, & manus:) Natalis cui vices suas commiserat: Doctor Madridius quem Magistro Lainio Generali Assistentem Hispania habuit, ipseque Mercurianus Generalis qui omnes vita functi, præterque hos Benedictus Palmius, & Manareus, perspectæ auctoritatis viri, qui etiamnum valent] hæcenus Ribadeneira.

Accedunt testimonia externa domesticis. Primum inter externos locum iure sibi vindicet Philippus Nerius Oratorij fundator, olim Ignatio intimus, post vero in sanctorum honoribus Collega: solebat hic vultum Ignatij splendentem cernere, & multa luce radiantem, quam ex pulchritudine animi excellenti dicebat emicare, idque Antonius Gallonius, & Marcellus Vetelleseus ex illius ore acceperunt. Indèque idem, Manareum alloquens, fieri aiebat, vt Ignatij speciem ars nulla pictoris satis exprimeret, quod in terra deessent colores quibus reddi ex vero possit cœlestis illius pulchritudo. Quo item argumento sanctitatem Ignatij Cardinalis Taurusius Senensis Archiepiscopus iure asseruit, cuius si alius illo æuo in purpuratorum Patrum Collegio, cordatissimi, & integerrimi, iuuat hic verba concepta ponere, in beati honorem, cuius sanctimoniam testabatur, cum præsertim è vita migranti se interfuisse significet, [Franciscus Maria Taurusius, S. R. Ecclesiæ Tit. S. Bartholomæi in insula, Præsbyter Cardinalis, ex Apostolica dispensatione Archiepiscopus Senensis. Omnibus, & singulis has nostras litteras lecturis, salutem in Domino. Beatus vir Ignatius Loyola, Societatis Iesu Fundator, firmiora quidem suæ gloriæ testimonia habere non potest, quàm quæ per eius instituti sectatores, vera huius sæculi lumina, omni virtutum, ac disciplinarum genere præditos,

XXXV.

*Externi viri
sunt insignes
quid de Ig-
natio senserint.*

Deus ipse euidenter exhibet Quomodo enim ij strenuè dimicantes, tam præclara in fide Catholica propaganda, in Hæreticis conuertendis, & in Christianis moribus vbique terrarum reformandis, cum summa omnium admiratione præstarent, nisi, Deo duce, cum summa omnium admiratione indutus, militibus suis præfulgeret, æterni Regni vexilla præferret, animum, vires, armorumque prælidia suppeditaret? Nos profecto quibus præcipuo Dei munere, illum in hoc ergastulo carnis adhuc degentem nouisse, eiusque animam ab ipso solutam, hinc migrantem in æterna Tabernacula, vt certò credimus, illicò recipiendam, cum in illiusmet cubiculo tunc adessemus, precibus, votisque comitari datum fuit, adeo semper eius nomen eminentemque sanctitatem venerati sumus, tantaque de ipso à bonis omnibus prædicari audiuimus, vt nihil eorum, quæ in eximio Dei seruo ad veræ perfectionis normam imitanda requirantur, irreprehensibilis eius vitæ rationem, desiderandum reliquissè censeamus. Singularum autem virtutum, quas Spiritus sancti gratia in anima, in qua inhabitare excitate solet, quis in eo argumenta scrutabitur, quamuis innumera quoque extare non ignoremus, dum illarum species, in eius vultu apparuisse approbantur? affirmavit enim nobis Sacerdos quidam Congregationis nostræ, Antonius Gallonius nomine, B. Patris nostri Philippi Nerij intimus, orantiumque eius arcanorum conscius, de cuius fidei integritate dubitari non potest, eundem Philippum, Beati Ignatij faciem, dum adhuc viueret, micantium radiorum fulgore se intueri sæpius testatum esse. Hæc nos de B. Ignatio sentientes, ex publicis his litteris, nostræ, nostrique secretarij manu subscriptis, & sigilli nostri robore munitis, in eorum perpetuam fidem, asserere, testarique volumus. Dat. Romæ pridie Kalen. Septemb. M. D. C. EGO FRANCISCUS MARIA CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPVS SENENSIS, affirmo.

Neque vnum hoc Philippi Nerij de Ignatij virtute præconium. Videns die quodam Gabrielem Venustum, & Rubinium in Congregationis suæ templo, rogauit an essent de Societate? & annuentibus, Estis, inquit, filij magni patris. Huic ego plurimum debeo; Magister Ignatius orationem me docuit: quæ mente peragitur. Ad eum quoque de suis transmittabat quos ad Societatem censebat idoneos, cuius tanta erat apud eum existimatio, vt quantum mihi certo compertum est, eam suo ingressu, & professione fuerit ornaturus, nisi ampliori fuisset diuinæ gloriæ propagationi destinatus. Habemus denique ex iurata fide Eugubini Episcopi, sanctum senem impetrandis à Deo precum successibus, intercessore vsum Ignatio, iam defuncto; eosque ad eius sepulchrum poposcisse. S. Nerio succedit B. Ioannes Texedius ex Minorum Observantia. Hic Ignatium aiebat spiritu Dei plenum, cuius instinctu magna libertate conficeret quicquid ad Dei gloriam

riam mouisset, Nominabat eundem Pacis templum, qui sui aspectu animos solaretur, fatiaret verbis, consiliis expleret. Ludouicus Montoyus Lusitanus ex ordine S. Augustini, doctrina meritisque notissimus, qui Romæ animi arcana cum Ignatio communicauerat, Conimbrica hæc ad eum scripsit [Christus Iesus summum nostrum bonum, sanctæ animæ tuæ semper adsit, eamque sui agnitione illuminet, incendatque noua in dies accessione sui spiritus, sancto amoris sui igne. Amen. Deus me pro sua bonitate in hanc urbem reduxit incolumem. Utque P. V. professus sum, nullas istinc reliquias pretiosiores, nullum utilius retuli confectum negotium, quam quod P. V. vidi, quod me in filium adoptauit, mihiq; bene precata est, ut hinc per omnem deinceps vitam, indignus licet, inter minimos Societatis Iesu fratres connumerer, quos & semper dilexi, & nunc quam unquam amantius, eosque in animo gero, ut ipsi quoque me velut unum ex suis, agnoscunt, & diligunt, tametsi sum eorum amicitia indignus, ob illas tot animæ meæ quas coram P. V. explicui miserias, cum me suo conspectu, affatūque dignata est.] Ludouicus Granatensis ex sacra Prædicatorum familia, scriptorum pietate, ac sapientia de toto hominum genere egregiè meritis, agens Ribadeneiræ gratias, ob scriptam Ignatij vitam, quam Vlyssipone à patribus nostris acceperat, utpote antiquus, ut ipse se nominat Societatis filius; ait vitam illam archetypum esse absolutissimæ virtutis, fociis omnibus ad imitationem propositum; se illam semel, & iterum lectam, optare, ut mente excederet, quò eadem qua prius aueritate illam relegeret. Ioannes Auila qui præcipua sanctitate Hispaniam, postremo hoc æuo illustrauit, causam sui amoris in Societatem P. Michaëli Turriano exponens, ait, sui hunc esse priuatum amorem, & proprium; suum enim se genium ac spiritum in Societatis genio quòd idem esset cum suo amare, ac se quoque rude atque imperfectum specimen quoddam instituti descriptum animo habuisse, cuius Ignatius non modo formarat canonem, verum etiam in opus lucemque eduxerat. Quare se quidem, cui Ioanni nomen, officio congruum, paranymphum fuisse sponso Ignatio, sibi que idem quod puero factum, saxum ingens humo atterere, frustra toto corpore molienti, ob debilitatem virium teneram, quod robatus, & nervis integris, si forte aduenerit, nullo negotio correptum illic statim reponat, quo puer in casum tentauerat. Sed præstat, opinor, de Ignatij sanctitate, totum aliquem audire Ordinem sanctimonia, & meritis clarum; quam multos seorsim qui eum viderunt testes grauissimos, is est Clericorum S. Pauli Ordo, qui Barnabitæ appellantur, audita enim Ignatij morte, hanc dederunt Consoatoriæ ad Societatem Epistolam. [Postquam nobis renunciatus est hinc in vitam meliorem recessus beatæ memoriæ Venerabilis Patris Ignatij, non mediocri cor nostrum pupugit dolor, tum vestri causâ, totiūque sanctæ Congregationis Iesu, quæ tali magistro, ac parente orbata, dolensque remanserit, tum nostri quorum etiam Pater erat. Dolendum quidem quod

*Epistola Barnabitarum
in obitu B.
Patris Ignatij.*

raptus est nobis hoc maximè tempore quo bonorum virorum tanta caritas est, consolandum verò est quod ad meliora transferit. Iustis enim viuere Christus est, & mori lucrum, quia & dissolui, & cum Christo esse multo eis melius: quo fit, vt cum beato Petro Kalend. Augusti corporis soluto vinculis, ad cœlestia lætus migrauerit. Hoc tantum metuendum est, ne aliquo nostro peccato ereptus sit mundo, & sicut de S. Iosia legimus, quia Iudæorum populo graue imminebat periculum Rex Iustus ante sublatus est. Sicut Domino placuit ita factum est: fit nomen Domini benedictum, sed neque etiam omnino à nobis recessit, viuuit apud omnes quocumque se per totum orbem nomen Christi protendit, dulcis, & grata sancti viri memoria, qui tantum de Christiana Republica meritis est. Quo magistro, ac duce, Christi fides, religio, doctrina propagata est, vt ipsos quoque antipodes penetrauerit, apud quos multa millia hominum ad fidem conuersa nouam Ecclesiam primæ illi Apostolicæ æmulam, nouos Apostolos, nouos Martyres legimus extitisse. Præmisit filios, nunc post multos superatos labores pro Christi nomine subsecutus est Pater, non minus magnis curis excruciat, multarum Ecclesiarum sollicitudine confectus, in otio Martyr, in quem non tantum domus vestra tam magna tot annos recumbit, sed plurimorum alia. Communis erat bonorum omnium parens. Et quem mœrentem non est solatus dulci alloquio? cui afflicto non affuit benignus consilio? quem indigentem auxilio non iuuuit? non est tutatus? Pes claudo, oculus fuit cæco, pauperibus solamen & miseris omnibus præsidium. Reddat illi Dominus bonorum operum mercedem. Nos in tanto funere sacram, Deo Hostiam non cessamus in altari offerre spargant alij tumulo purpureos flores, hæc Sacerdotum sunt lilia, magis que vernantia, & Deo amabilia mysteria pro sancta illa anima licet iam beatæ vitæ gaudia (vt credimus) perfluente. At his saltem illum quem viuentem nobiscum pio amore coluimus, recedentem ab hoc sæculo, nequam quibus possumus muneribus prosequemur. Dilectionem vestram rogantes, vt has amoris lacrymas, fidei, & obseruantia nostræ testes libenti animo suscipiant, mutuoque nos diligant, memores in suis orationibus paruitatis nostræ: Dominus Noster Iesus Christus sit cum omnibus vobis. Amen. Ex cœnobia nostro Mediolani Kal. Septemb. 1556.

Vltimo demum loco, post homines virtutum sanctarum laudibus præstantes, Ignatij merita etiam alij testentur, quos præter virtutem ornauit Maiestas, & dignitas: in iis iure primas tenent Pontifices, sub quorum oculis Romæ agebat Ignatius. Paulus III. qui Societati Religiosi Ordinis formam dedit, existimauit Ignatium Deo plenum, datumque mortalibus ad instaurandas Ecclesiæ labes. Fuit Iulij III. de illo idem sensus, reuerentia erga illum velut in hominem virtutis absolutæ: vsus est illo familiariter, nec illi quicquam, aut gratiæ, aut prærogatiui iuris negauit vnquam quod pro Societate petiisset. Illum Paulus IV. ita obseruauit, vt ab iis quæ instituerat in Societate abstinere manus, seque aduentem non sineret de genibus

nibus agere, sed stantem iuberet tectumque pileolo secum loqui. Sed Marcellus II. parem sanctitatis, & prudentiæ vim veneratus est in illo singulariter, & amavit; suumque hunc animum haud raro, palam ac publice indicavit, ac nisi hunc Deus Ecclesiæ suæ tantum ostendere, nec ultra esse voluisset, magnis profecto in rebus luculentius spectaremus quanti Ignatium faceret, vix enim federat cum eius experiri consilia, viâque opportunas ad eam quam meditabatur in tota Ecclesia reformationem, nec eius modo consilia, sed operam, & operarios optarat; attende, inquit, scribendis, fingendisque militibus, nos vero iis occupandis. Maius aliquid optasset Ioannes III. Lusitaniæ rex, nempe Ignatium in Petri sede Pontificem, & cœli claves moderantem, illo enim suo Apostolico ardore, mortales omnes illuc inducturum. Pontificum laudem excipiunt Cardinalium studia, de quibus referre sufficiat, quod tres aulæ Romanæ cognitores de eo inter cœtera retulerunt, ad eum scilicet adisse sæpius Cardinales nonnullos officij gratiâ; alios, ut venerarentur virum sanctum; quosdam, ut eius ductu in animi cura, vel in negotiis iuarentur: vulgo enim constabat, quod toties dictum, summa illum prudentia, & sanctimonia pollere: quare Cardinalis à Cueua ubi de illius obitu accepit, scripsit Ecclesiam prudentissimi omnium capituli iacturam fecisse. Ferdinandus primus Imperator nisi consulto prius Ignatio nihil Romæ tractavit. Iacobus de Mendoza variis casibus edoctus, non dubitavit profiteri, sibi in negotiis Regiis dictata Ignatij prospero semper euentu cessisse; ubicumque ab iis suo confusus iudicio recessisset, semper sibi res in deterius exisse. Tandem inter tot alios de admirandis illius dotibus sapientissimos, grauiissimosque testes, duorum tantum consolantium magis, quàm condolentium literas hic dabo, quas in eius morte, ad Societatem dedit Cardinalis Augustanus, & ad Lainium Vicarium Generalem; Ioannes de Vega Sicilia prorex. Ortho Truchses Cardinalis Augustanus in hunc modum Herbipoli scripsit. [Haud facile dictu est venerandi in Christo ac Religiosissimi fratres) sanctissimi nostri Patris ad vitam meliorem excessu, vtrum nobis mœtor ac lætitia maior acciderit. Nam si ex huius vitæ calamitatibus ad præmia, quæ promeritus est euocatum Dei bonitate consideramus; impium esset id ei bonum, commodi nostri causâ inuidere. Ex altera parte est, cur merito doleamus, ubi relictos nos orbos aspiciamus, eoque parente destitutos, qui quavis in difficultate portus nobis tutissimus erat; tamen, quia caduca cum æternis conferenda non sunt, id solatiij quod item capiendum vobis est, capimus: certi eam benedictam animam pro nobis, qui in tenebris hisce mansimus, supplicem apud Deum esse; ac precari, ut ea felicitate articulum supremum exigamus, qua exegisse illum cognouimus, &c. Herbipoli 25. August. 1556. Societatis vestræ sanctæ Deuotissimus Frater Cardinalis Augustanus, Ioannes quoque Vega Sicilia Prorex scripsit, & militari sua eloquentia gratias egit Deo, quod cum ei visum est tempus, ad se famulum suum transtulit, relictis inter mortales tot bonitatis, sanctitatisque trophæis,

Epistola Cardinalis Augustani.

Epistol. Ioan. Vega proregis Sicilia.

quæ nec tempus, nec ær, nec aqua euerſura vnquam ſint, vt cernuntur euerſa, quæ inanis gloria ſtatuerat & ſecularis ambitio; ait ſe confidere triumphum quo receptum in cælo par foret, qui tot victorias præferbat, tótque feliciter pugnas pugnas aduerſus tot, tamque acerbos ac barbaros hoſtes, quamque merito ſancti huius Imperatoris ſignum in cælo poſſit inter ſigna ſtatu ſancti Dominici, Franciſci, aliorúmque ſanctorum: quibus Deus dedit vt tentamenta, & miſerias ſeculi ſuperarent, plarimáſque animas eriperent è faucibus tartari. Paritérque conſidero (inquit) quam ſit hæc gloria, & triumphus procul ab inuidia aliorum ſanctorum heroum, quamque diuerſus ab ſeculi huius triumphis, & gloria, miſeriarum, & inuidiæ plenis, & cum damno Reipublicæ, corruptelæque coniuctis: quæ omnia eo valent, vt ingenti ſolatio, & firmamento ſint nobis ad mitigandum quamuis acerrimum talis iacturæ ſenſum; vtque expectemus adiumentum è cælo, quod melius, quam cum eſſet nobiſcum, poterit præſtare tum ſuæ familiæ, tum omnibus, qui ſancto viro noti, deuotique fuere ac ſunt.]

Nunc illa priuſquam expeditio quæ conſecuta ſunt Ignatij obitum, dandus omnino eſt hic locus, aliquot eius ſententiis ſane illuſtribus, & dignis æterna memoria, vt quæ ſint virtutis reconditæ arcana, & diuinæ effata prudentiæ, magno proſus ſiue apud Deum, ſeu nobiſcum ſit, vel cum aliis agendum vſui futura. Sunt autem ea quæ ſequuntur.

Qui ſe ſuáſque rationes Dei obſequio poſtponit, huic Deus multo melius conſulit, quam potuiſſet ipſe ſibi conſulere, ſi Dei obſequium ſibi ſuiſque rationibus non dubitaſſet poſtponere. Vbiſcunque vero ſecundi exitus optantur ſuſceptorum in Dei gloriam operum; ab tenebris æquæ, vt luce humana cauendum eſt. Hoc eſt ab inani puſilli animi timore, & à prudentia volente nimium ſapere; haud ita quidem, vt temerè in res agendas procurratur, expectenturque in opem miracula: verum ſic Deo conſidamus, vt indubitanter ſtatuamus, eius velle ac poſſe nullis teneri perpetuis legibus; nec illa tantummodo cum de illius obſequio agitur, ab eo expectanda, quæ ſpondet nobis noſtra infirmitas: ſuſpendenda quidem fiducia omnis, in ſuſcipiendis rebus huiusmodi, à Deo perinde eſt, vt ſi eas ſolus, miraculo, perducturus eſſet ad optatum finem; verum in legendis ad eas viis atque adhibendis, ſic incumbendum eſt, vt ſi noſtræ vnius futura laus operæ, & indiſtriæ foret, nihilque negligendum quo poſſint ad exitum promoueri. In tractandis autem negotiis decere aiebat pauca loqui, & multa audire; pauca vero illa, ſic vel vni ſolum, in aurem credenda, vt ſi credas vulganda in publicum. Denique qui plura conficeret, nullum eſſe quàm qui vnum tantum, maximè vero ſi hoc ſeruet, quod ſummè eſt neceſſarium, vt rebus ſeiſum accommodet non res ſibi, ne dum ſuum vitat incommodum negotia corrumpat.

Qui multum homines metuit, grande aliquid pro Deo nunquam conficiet; nihil enim ſuſcipi pro Deo magnum poteſt, quin ſuſcipienti magnos metus,

metis, & vexationes continuo homines concitent, omniaque tumultu impleant. Magnum vero illud, in auxilium scilicet animarum volebat intelligi, expertusque per sese loquebatur, vsque iam ex eo cum se Deo primitus dedicarat. Dum enim sibi penitentis vitam in afflictando corpore viueret suspiciebatur ab omnibus cum admiratione sanctitatis, vt autem in curas transiit salutis alienæ, repente veneficus, hæreticus, scelerosus euasit, quæstioni, carceri, & rogo tradendus. Haud tamen propterea retro vnquam cessit, nam hac etiam in parte *perfecta caritas foras mittit timorem*. Qua professione salutis animarum cum Societatem informaret hunc illi vnâ instinctum indidit, ne malis vnquam territa cederet, sed contra impetus aduersariorum inflexa pergeret, qui nunquam essent defaturi, quamdiu officio non deesset. *Societas*, inquit, *mediis humanis instituta non est, per ea nec conseruari nec auferri potest*. Multo minus dissolui, & periclitari: quin ab aduersis metuendis tam procul aberat, vt omen lætius aliunde nulum acciperet, Societatis alicubi rem bene gesturæ, ac feliciter habendæ quam si hostilibus odiis, illic ab omnibus iactaretur: cui eius prognostico, bellè fideliterque successus responderunt.

Rari sunt admodum qui satis capiant, quid iis esset facturum Deus, si totos se illi permitterent, & elaborandos manu artifice diuinæ gratiæ traderent. Rudis atque informis stipes nunquam suspicetur, fingi se posse in statuam quæ pro artis miraculo celebretur. Proinde nec statuarij se scalpro subiecerit, qui *videt in arte*, quid illo fieri valeat: sic multi quos passim videmus de Christiano vix aliquid sapere, non intelligunt se posse Dei munere in sanctos efformari, nisi eius operam perderent, & designato ab eo labori obliterent.

Qui auct ex Deo cognoscere quid ab se velit Deus, siue in optando vitæ instituto, siue in cæteris quæ animum spectant, omni se primum affectu priuato, ac propensione necesse est exuat. Dehinc totum Deo se credat penitus, æqualiter animo paratus ad omnia quæcumque Deus innuerit. Post hæc ne sibi venturas de cælo Epistolas somniet, quibus sua Deus mandata exponat, sed ex oraculis æternæ, & Euangelicæ veritatis, vtrunque æstimet quid agendum, vel omittendum sit, quæ consecutura ex vtroque prospiciet ad finem referens in quem à Deo est conditus: sub qua si adhuc hæsitari perplexus, & dubius, ex morte demum, & supremo post illam iudicio, decretoriè statuat amplecti, quod vellet maximè in eo æternitatis pauendo aditu fecisse.

Deum possidenti, nihil deest, tamen si nihil suppetat; est enim Deus omne bonum, & cum eo nobis quicquid vsquam est boni pariter aduenit: ex quo scribens ad Petrum Contarinum; [cum bono Deo, inquit, satis feliciter nobis hætenus res fluunt, experimurque in dies certius quàm verè id dictum, *nihil habentes, & omnia possidentes*, omnia, inquam, illa quæ promissit Christus adiecturum se querentibus primum regnum Dei: nam si præ omnibus, Dei regnum querentes, accessione reliquorum bonorum cumu-

lantur, iis oro, deesse quid possit, qui præter Dei regnum, profus nihil ambiunt, aut volunt? quorum haudquaquam *de terra pinguedine*, sed de rore cæli, tota felicitas? qui mentem cælo, ac terræ non diuidunt. Sed defixam in cælo integrè totam habent.]

Cui Deus hunc principem, ac summum perfectæ virtutis non indixit gradum, Dei vnus possessione abundè contentum; occurrit secundus in quem enitatur, possessor nempe sit eorum quæ habet, nec ab iis possideri se sinat; & esto, propter Deum illa non deserat, cuncta tamen ad eum referat; & quamlibet multa sint, minoris semper ea pendat illo vno quod esse necessarium Christus pronunciat.

Frequentatæ augustissimæ Eucharistiæ fructus est maximè proprius defendere animum à noxis lethalibus: quare non ideo supersedendum illius accessu, quod sensus molliores diuinorum non experiantur; foret enim perinde, vt qui velit inedia perire quod pane mellito careat, & grati saporis insana cupidine, vitam destruere.

Tametsi virtutes, earumque actus, aliis alia, nobilitate, ac merito antecellant. Haud tamen id cuique vtilius semper est, quod per se est optimum; sed quod præsentibus rerum concurrentium momentis, ei maximè conducit. Ergo si nobis precantibus diuina se bonitas infundet, affluxu doloris ex nostris sceleribus concepti, absurdum fuerit, omisso dolore, transferre animum, ad lætas de natura Dei, eiusque gloriis, aliisque similibus cogitationes. Hoc enim licet, sui ratione præstantius, ac pretiosius; sed huic sua lugenti tunc crimina, diuinæque ad hoc gratia affluent, multo minus conueniens, minusque vtile.

Si tibi Deus vberem præbebit tolerantia segetem, argumentum id erit magnæ sanctitatis, in quam te cupit attollere; ac si voles ab eo fieri valdè sanctus, multam ab eo roga perpeffionum materiam. Nam diuini amoris luculenta flamma, haud alio surgit, quam ex ligno crucis ardentior, quo Christus vsus est ad sacrificium infinitæ suæ caritatis. Aiebat item, ex floribus, & deliciis hominum quicquid potest mellis exfugi, nihil esse ad suauitatem, quam Christi fel, & acetum affundit, hoc est amara, & aspera quæ Christi amore cum Christo perferantur.

Magni in Dei gloriam, magno hominum bono aliquando patrandis, non debent postponi, quæ in eundem finem iam manu tenentur, præstantque pauca, sed solidè fundata, & æuum latura, multis, sed infertis, & facile mutaturis; alioqui non ratò partum amittitur, nec speratum paratur. Quam sententiam, vt verbis, sic rebus agendo confirmauit; ac tum præcipue cum in Hispania, multis locis deferretur illi collegiorum fundatio, quæ ob professorum penuriam cum admitti non possent, nisi iam admittis detraherentur aliqui professores, spes illas in tempus opportunius reiecit, non passus numerum domus vllius imminui; quod Collegiorum propagationi præferret religiosam disciplinam, quæ inter paucos ægrè seruetur; vbi vero illam laxari contingeret, inde mox ordini graue damnum acciri,

acciri, vrbes autem suis vtilitatibus fraudari, quas ab hominibus soluta virtutis sperare non possent.

Vt in salutem animarum efficaces sint naturæ dotes, interiori virtutis impulsu eas agi oportet, indeque vires ad rem bene gerendam ducere. Ita illas fortunabit Deus, manumque iis, vt Ioæ Elisæus, potentem imponet, ne tela sine ictu mittant, sed plagas inferant salutare. Præsidia igitur scripturus quibus Societatis instituti sui tueri animam valerent, hoc cæteris omnibus præmisit [ad conseruationem, inquit, & incrementum non solum corporis, id est eorum quæ externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis, quem sibi præfigit, auxiliij animarum, ad vltimum & supernaturalem suum finem consequendum, media illa quæ cum Deo instrumentum coniungunt, ac disponunt, vt à diuina manu rectè gubernetur, efficaciora sunt, quam quæ illud disponunt erga homines. Huiusmodi est probitas, & virtus, ac præcipuè caritas, & pura intentio diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus sincerus animarum ad gloriam eius qui eas creauit, ac redemit, quouis alio emolumento posthabito] hinc Ignatio carior vir simplex excellenti virtute, quam ab scientia donisque alijs egregiè quidem comparatus, sed modicæ virtutis, quamuis & hos fouebat diligenter, ob vtilem in animas operam. Verum si nihil eos commendaret præter nobilitatem, aut literas; iis Societatem absoluebat, quanquam opinione famæque præstantibus, aut eos tamdiu à ministerio animarum amouebat, dum intelligerent, carere se primaria eius muneris parte, virtutis nimirum pietatisque præstantia, cum ex ingenij ornamentis, supellectilem sibi malè arrogarent, etiam iusto ampliorem: vt enim denique de concionibus Ignatij aiebat Lainius, non fuisse illas Quintiliani, & Tullij incude informatas, sed tamen qualibet eloquentia fortiores; tantum potest quiuis, quantam Deus illi vim addit; tantam porro addit, quanto propius atque interius illi coopratur ad suscipiendos eius motus.

Part. 10.
conf. §. 2.

Pietatis cultum, & precandi studium professis, duo par periculum inuehant; copia, & egestas; animi voluptates, & ariditates: illis procliue est animus intumescat, tanquam meritorum ingentium vsuris, cum excipi debeant in stipem gratuitam, conferri sæpius etiam in eos solitam, qui virtutum sunt egentissimi, his verò facillè tædio, mœrore, ac dissidentia contrahitur animus, velut ab se auersum recogitans Deum, quod sibi frontem non explicet; ac se cum Gelboë montibus, diuina damnatum execratione, quod se rore cœli non recreet. Vtrumque igitur hoc tempus mutuo auxilio sustentandum, ne extra officij limites nos ferat. Pijs ergo defecti solatijs, repetemus animo consolationes præteritas, olim nobis haud quidem ex merito concessas, cum iis nunc etiam indigni habeamur; sed gratuita Dei miseratione, vt catellis humi, arrecto aspectu aliquid, vt possunt ab hero petentibus proiciuntur analectorum aliqua frustula. Delibatos vero liquore cœlestium voluptatum, meminisse oportet, quales nudius tertius squa-

lente velut canicula effemus, futurique non multo post simus, cum is harum deliciarum inhiuerit fontem, qui uti Iob admonet, *Si continuerit aquas omnia siccabuntur*. Cauendum præterea dum huius dulcedinis expertes, aridi; & afflicti iacemus, ne quid eorum inuertamus, quæ affluentibus animi gaudiis constitueramus; vice versa, his pleno aluco mentem ferentibus, ne quam voti legem nobis imponamus, præsertim difficilem, & immutabilitatis perpetuæ, sed hoc differamus quoad deferuerit is calor, per quem, aut sumus parum nostri, aut nostrum modulum audendo excedimus; maturius postea, consiliaria ratione, non affectus impetu decreturi. Quamobrem etiam quod consueuerint motus animi vehementes, hominem facere ab se tantoperè diuersum, planèque alterum; nullam dabat promissis fidem, quibus interdum exleges ab eo è Societate excludendi, efflagitabant retineri; nec ab iis coram supplicibus, flentibus, iurantibus, si vnquam in posterum; vilo modo se flecti passus est, illum enim affectum exerentem se in iurata promissa, & lacrymas, torrentem esse quantocys exsiccandum. Etsi verò induxerit animum, ut eorum nonnullos reciperet, sed nisi post probationes multorum mensium, longa peregrinando itinera, ministeria nosocomiorum, ac demum spontaneas inter nostros pœnas, donec rebus ipsis, operibusque teneretur constans illorum firmaque maturatio.

Franciscus Costerus adhuc tyro, & admodum iuuenis, erat in risum effusor, quòd nouitiis ferè vsu venit. Offendit hunc aliquando vir sanctus, & quidem secum seorsum ridentem; vocato Franciscè, inquit, audio te perpetuo ridere: ad hæc ille demittere oculos, & modestè acerbum aliquid expectare; at ego infert sanctus, ridere fili mi te volo, esseque in domino hilarem, nullam habet religiosus mœrendi causam, multas verò gaudendi; proin iterum hortor sanimo sis semper alacri, & læto, ac futurus es profecto, si humilis, & obediens fueris. Hoc autem eò dico quòd in te videor non vulgare ingenium cernere, dotèque magnis olim gerendis non impares, quæ tibi si fortè non credentur, nisi piè humilis fueris, amarè, dolentèque accipies. Victum quoque ac cœlum Romanum, minùs tibi propitium aduerto, & voles fortassis in Belgium mitti; ego verò te in Siciliam destino. Iam si tibi certa vel munera vel loca designaris, fiet non raro, aut alia omnia de te obedientia statuatur, ex quo tibi mœrorem, & molestiam creare necessariò oportebit: quare ut semper sis lætus, & hilaris, esto humilis semper, ac semper obediens,] quæ planè magis est communis omnibus, & conuenientissima regula, quàm peculiare vnius monitum; nec sanè minùs prodigium religiosus tristis qui extra Deum nihil ambit; quàm lætus, & gestiens qui alia omnia præter Deum querit.

Quibus est refractaria & vehemens indoles, ac modi nescia, ne idcirco virtutem desperent, tanquam supra vires, & ambitus positam, sed ingentes ad domandam naturam spiritus assumant, sciântque vel vnâ eiusmodi, sui victoriam, præstare plurimis aliorum facinoribus præclaris, obsequentis

&

& imperturbati ingenij beneficio editis, nitente in oppositum nemine: hos vero ad Deum per virtutis aspera progressus, Petri fluctus calcantis incessum videri, vbi quanquam semel timuerit, & mergi cœperit; cœteris tamen qui navi ad Christum veniebant, celerius, & gloriosius appulit. Præterquam quod solet naturæ acerbitas, & cruda temperies si tandem se fregerit, & pietatis ardore excoxerit, magnorum ad Dei gloriam capax euadere: illam enim elatæ ferociam indolis, virtutis arbitrio, vsuque commissam nec esse contentam vulgaribus; nec debilitari leuibus, aut remitti. Quapropter Ignatius eiusmodi homines frangendi sui serio cupidos, quanquam turbulenter interdum exumperent; ferebat tamen patientius, quam alios quosdam mitiores minùsve culpandos. Sacerdotes duos communi ex causa eiectionem commeritos cum reprehenderet; alter impatientiam verbis liberioribus effudit; vultum alter in sinum turbidus demisit, & petitione veniæ omisâ, contemptum quem silentio premebat, iudicii prætulit. Sanctus exploratum amborum genium probè callens, retento qui magis reus videbatur, secundum hunc sæculo reddidit.

Nisi sit veritas, caritati comes, & humanitati, iam nec humanitas nec caritas fuerit, sed fraus, & vanitas: quare nunquam tantis aures ditandæ sunt promissis, quin facta valeant ipsis ex æquo respondere; expedit quin imò nihil in crastinum polliceri, quod non possis hodie præstare.

Afflictationes vltro neæ mensura æquali diuidi singulis non possunt, nec ab iis eadem perpetuò teneri, non sumus Domini corporis, sed Deus; huius nobis haud magis reddenda est ratio, deliciis in culpam aliquam emolliti; quam seueritate nimia eneruari, quanquam id diuini honoris, & meriti nostri gratia, effectum: si aduersus mentem perduellis caro, insultus mœnerit insolentes, pœnarum vicissim insolentia dometur, subductis quibus oblectatur, incussis quibus affligitur, donec petulantia posita ad seruitutis officium redigatur. Ast vbi cum mente, induciarum, aut pacis fidem seruat; nōsque versus Deum, experimur animum ad eò constantem, vt mortem obire millies, quam semel offensum habere malimus; tunc is modus pœnarum corpori imperandus, qui mentis conatus nec impediatur, nec retardet; sed in eius obsequia potiùs, attenuatam carnem faciat expeditiorem: quo monito Franciscum Borgiam, priusquam sæculo exiret, sæuientem in corpus immoderatus represit. Est tamen inuentu difficilis mensura hæc domandi corporis, quæ in medio sita, vltro citrouè non excedat; prærigiastrix enim *ελαστία*, leues corporis castigationes, pro immani pondere representat, & valetudinem vitamque oppressuro: quare aduertit sanctus, non esse sensui credendum, mox vt incipit queri, & tumultuari, nec omnibus statim exonerandum molestiis, sed aliis nihilo minoribus mutandas, dum aut rationis, aut diuinæ lucis effulgeat radius, qui nostris viribus æquam nobis earum mediocritatem definiat.

Homines à brutis ratione secerni dicitabat; ratione frænari non animi tantum impotentes motus, ne in verba factæ nos agant, ab homine, ra-

tione prædicto aliena; sed pios etiam affectus, ne impetum animi, sed delectum sequantur, in quo ipse profusus excelluit; nam usque adeo (quod alias diximus) in manu habuit motus omnes, ut iis ratio, & præter semper, & moderaretur; unde factum, dictoque, licet improuis, nihil effundebat quod non multo ante diu cogitatum, & pro grauitate digestum videretur. Pius verò sanctis que impulsibus, nihil indulsit, nisi quod scopo diuinæ gloriæ, quem sibi præfixerat, & conditioni quam profitebatur optimè conueniret; calcatis fortiter desideriis esto probis, & sanctis, sed priuato magis, quam Ordinis Patri opportunis; & sui potius vnus, quam hominum omnium vtilitate ardentibus. Ne verò nostris decernendis contingat decipi, spectanda sunt velut aliena, de quibus nostrum queratur iudicium; non nostri, sed veri studio, rationisque proferendum. Decretum verò quicquid erit, haberi tamen prius fixum, atque immobile non debet (etsi omnes exhaulerit humanæ prudentiæ regulas) quam eiusdem examen in luce diuinæ præsentiae integretur, fundanturque super eo apud Deum preces: fit enim persæpè, ut prospectus humani, excursus breuis, & turbidus, ea non videat, quæ vel precatio humilis, vel per se splendor æternæ regulæ manifestat, quod vir sanctus vsu inuolabili obseruabat; quantumlibet enim ad societatis bonum pertinerent, quæ diuturna secum meditatione, precatio cum Deo contulerat; consultorum tamen de iis sententiam exquirens, sic in partem vtramque sincerè ac frigidè proponebat, ut in quam vergeret, diuinari non posset.

Impugnaturus hominem-dæmon, primùm circumspicit qua parte debilior, & qua neglectior, eò machinas admouet, illac impressionem facit. Quò vero natura suo pte pondere inclinatur, illò ruinam impellit, & cum ea in nos ipsos coniurat animi nostri perturbatione, cui permissum à nobis nostri arbitrium notat. Vtitur etiam præsentis animi comparatione, ut in extrema nos rapiat, nam cuius viderit conscientiam laxiorem, id ager ut fiat licentior; è contrario si pte timidam, & angustiorem, adstringet hunc meticulosius, ut ille ex leuibus in capitalia deuoluatur; hic officiorum minutiis scrupulosius pendendis, discruciet sese, & perplexæ mentis inquietudine ad insaniam agitatus, denique desperet. Nullum ei tempus ad inuadendum commodius nocturno, maximè subito cum euigilamus, ratione adhuc semisomni, & hostis secunda solitudo ad hæc, & nullus præter nos consiliarius; nihil enim dæmon, nisi occultis molitionibus magnopere promouet, iisque palam factis confusus, vix pugnam sustinet. Aduertendum quoque, labendi metum ab eo nobis interdum eximi, ut securiores in lapsum protrudat; monstruosa interdum terriculamenta pauidis obuii, quo diffidentia virium animis fracti abiiciamus spem omnem repugnandi, & pænè victori manus demus. Tunc verò, ut solent femina cum maritis rixantes ignavis, & timidis, efferatur insolentius, & insanit. Eius similiter dolus est, cum ab instituta sanctoris vitæ ratione dimouere aliquem non valet, ut reiciat illum in pristina deuia, depingere illi conditionis

tionis alterius bonæ quidem, sed à proposito alienæ, piam quandam blandamque speciem; vt eius quærendæ studio, quam ei fingit meliorem, quæsitam deserat, quæ optima erat, eique maximè congrua. Sic iis qui solitudinem adamariunt, vitam ostentat sudore nobili, in proximorum salutem exercitam, & Apostolorum exemplo consecratam; vicissim hanc profitentibus, eremi silentia, velut beatæ præludia quietis describit. Aliis pariter in rebus, vt affectum iam opus egregium extorqueat nobis de manibus, maioris alterius desiderio nos vrget, & stimulat, quod vafet præuidet nunquam omnino confectum iri, factu tamen interea pronum, & obuium describit, donec illius cupidine à præsentibus nos tandem obduxerit. Ab eo autem quo nos incenderat, vt etiam auocet, artes nouas molitur, nodos nouos, & difficultates, quas ante celarat improbus, ostendit insuperabiles. Postremo Deus extra illa quæ seruat, victoribus dæmonum, æterna præmia, hic interim illos in iis efficit fortiores, in quibus fuerint vehementius impugnati, & beatarum voluptatum ybertinam copiam, confectozum certaminum ærumnosis laboribus reponit.

Vsitatum est dæmoni, foris quàm domi res potius gerere, & quoad valet sanctitatis magnificam speciem, rerumque ad sensum admirabilem, incautis inducere, qua illos in tumorem agat, spectatores illorum in fraudem. Contra Deus interius magis, quàm exterius hominem elaborat, & excolit: solidarum virtutum pretiosa structura animum exornans, & vera sanctimonia locupletans; tametsi nonnunquam præter morem, intimè sibi familiares, & in paucis fidos, tot donis animi cumulat, vt in corpus etiam redundent. Documenti huius occasio fuit, ex familia S. Dominici amicus, narrauerat is viro sancto de moniali eiusdem ordinis prope Bononiam; consueuisse illam abduci à sensibus, vt nec acu puncta, nec igne vstulata sentiret quicquam, dumtaxat vno reuocantis antistitæ præcepto, ad vsum sensuum rediret: prodebat quandoque manuum, & pedum vulnera; hiabat ei latus; caput circumstuebat sanguine, velut spinea transfixum corona. Ex quibus Ignatius laudauit nihil, præter illam parendo celeritatem, ad præsidis suæ iussa, in sensus redire docilem: post religiosi vero amici, discessum, Ribadeneiræ quæ mox retuli dixit. Quam sapienter id, quamque prouidè, docuit ipsa res, paulo enim post tota illa scena sanctitatis mirabiliter personatæ, præstigiis dæmonum concinnata, nudata est, merusque apparuit mulierculæ deceptæ ludus. Quamobrem istos in diuina raptus, alienationes à corpore, & istiusmodi peregrina nolebat ab suis haberi pro legitima trutina sanctitatis, reprehenditque asperius Martinum à S. Cruce, tunc in pietate, vt in Societate nouitium quod illam in Hispania Famofam Magdalenam à cruce, sanctimoniam nomine laudaret, quam cum multiplex, & stupenda diuini fauoris videretur ornasse testificatio, deprehensa est tandem malefica, & arcani, atque domestici cum hoste maligno commercij, de cuius histrionia ducebat ludos illos, quibus aucupabatur famam inclitæ sanctitatis, donec tandem comperta, tulit ab
facto

sacro tribunali condignum impietatis & fraudulentæ supplicium. Huic consequens fuit aliud Ignatii dictum. Oportere esse, *hominem interiore* plurisque ducere compressionem priuati arbitrij, quam vitam mortuo restitutam. Tanti vero apud illum fuit virtus interior, & quæ lucent exterius ac splendent adeo timuit, vt morem spontaneæ afflictationis palam extra ordinem susceptæ subinde suis abrumperet, tum vt meminissent præstare victimis Obedientiam; tum ne adhuc infirmi inde inaniter se efferrent. Itaque Hispanum adiutorem, operis faciendi, & discrucianti sui mirificè audum tempus omne maioris ieiunij solo pane, & aqua poscentem exigere; nec ideo quicquam de quotidiano labore remittere, permisit quidem suæ obsequeretur pietati, semper enim Deo intra instituti limites vnumquemque mouenti velificabatur. Quod tamen is frater parem in frangendis animi motibus, vt in coercendo corpore, non poneret curam, ac ne item peracto, tam prolixo ieiunij penso, sentiret de se aut æquo altius, aut de aliis abiectius, iussit illum die veneris sancto, in communi mensa piscibus, cibisque vti communibus. Quo facto, eximie ad intactum ieiunij, in quo pergere parabat meritum laudem Obedientiæ maiorem adiunxit, & priuati affectus, etiam in bonis proculcationem.

Quibusdam publica acerbè dolere solitis, & querimonias non consolabiles in sæculi sui correctionem mittentibus auctor erat, vt eas in se vtilius verteret, quas frustra in aliis conferebant, & hoc illis videndum præscribebat, quorum esset in supremo iudicio repetenda ex iis ratio; parandam de iis satisfactionem, vt quæ propriè nostra sint, non autem aliena quæ sunt extra fines nostri officij posita. Pulchre autem in hanc rem aiebat, cui foret propositum, vel pro potestate, vel pro religione officij, mundum emendare, huic à seipso ducenda esse initia; tum ad familiam propriam; post ad ciuitatem cæterarum primariam veniendum sic processurum feliciter, quod alias frustra tentaretur.

Quem tenet labor alienæ salutis occupatum, efficacius semper modestia humilis quam auctoritas iuuerit, vincetque cedendo potentius, quam pugnando. Cum cœpit Romæ docere Societas adfuerit quamprimum aliqui externarum scholarum præceptores, quos discipulorum dilabens numerus, & quod consequens erat, stipendiorum, proritabat; indignari ergo, furete, conuictis nostros fœdè impudentèrque incessere, sed modesto ad hæc eorum silentio confusi abierunt. Quod aliis quoque in urbibus cum credibile esset euenturum, dedit quaquà versum Epistolas vir sanctus, vetans quicquam eiusmodi hominibus nisi humile responderi. Ignorantiam (quod primum obiectabant) si ipsi exprobrarent, de illa ne consideretur, nec iis deferretur doctrinæ periclitatio; sed hoc tantummodo placidè iis satisfieret, esse nos probe scientiæ nostræ sat modicæ conscios; id exiguum quod sciremus, libenter aliis tradere qui nescirent. Addebat insuper magna feliciter ex humilibus assurgere, vtpote solo fundata idoneo. Vnde illud eius Lainio, & Salmeroni præscriptum egregium, Tridenti non ante in synodi conspectum

conspectum venirent, quàm elementa fidei Christianæ pueros docuissent, & nosocomijs famularem operam nauassent. Iam quosdam homines ardore quam prudentia maiori, qui vt boni aliquid facerent plus mali decuplo consciscabant, qui non verebantur cum præsidibus litigare, & cum alijs diffidia ferere, ex quo plus iacturæ quam lucri; offentionis quam exempli, hos inquam aiebat ædificare altera manu, destruere altera, atque vt vnum lapidem ponerent, aliorum centum quater commissuras. Sic inter alios Adrianum Adriani vehementissimè improbauit, cuius in adiungendis Societati adolescentibus duobus feruida præcipitatio, Louanienfes omnes linguis, & odijs in Societatem armauerat: vt autem cuique censebat vel vnum boni securi gradum, anteponi sexcentis debere, salutis periculo quærendis; hand secus in alijs iuuandis, boni aliquid non magni, sed exemplo bono, & sedato factum, præstare bonis quibuslibet maioribus, sed offensionum, turbatumque causas præbituris. Vnde quibus locis Episcopi, auersam ab Societate gerebant animum, illic patribus nostris, vsum prærogatiui iuris à Pontifice indulti, vel adimebat, vel arctabat; ne si iusto maiora tentassent, turbatum fierent auctores, malens pauca tuto, & placidè ab ijs fieri, quàm tumultuosè, & ambiguo successu quamplurima.

Qui religiosi Ordinis homines ad procurationem diuini obsequij adhibent, cum detrimento communis illorum regulæ; arborem perdunt, vt fructum decerpant. Quæ fuit ratio cur Duci Ferrariæ, quamquam Societatis peramanti, valdeque in eam benefico, non potuerit assentiri, cum vnum ex Patribus optaret principi filio præceptorem, sed extra Collegium in aula victurum. Illos item qui Collegia regebant, vetuit sese præsulibus commodare, si ab Collegijs eorum longinquitas, videretur disciplinæ domesticæ aliquid obfutura; & hac potissimum de causa Quæstorum factorum officium defugit, quod Societati deferebatur in Lusitania, damni scilicet timore, quod Societati nimis pronum erat ingruere, si ea susciperet munera quorum administri ab iure obedientiæ, iure eximio immunes fierent, & ab Rectorum imperio soluti.

Trahendis priuata consuetudine ad Deum hominibus, nihil æquè conducere putabat, vt *omnibus omnia fieri*, seque ad ingenium cuiusque conditionem, & habitum prudenter fingere; sic futurum (quod ante adnotauit) vt illorum esset, noster initio cum ijs congressus; illorum vero à nobis digressus, noster, & Dei esset: susceptis enim eorum affectibus, & rationibus, transformatoque in eorum genium animo; leni flexu ad salutis negotia veniri, gradu facto per ea quæ sermoni prius materiam dederant. Sic illos suoapte pondere, pane absque sensu induere sese, in solida, & sancta consilia. Qua industria vir sanctus, conuersiones fecit admirandas: in quibus illa meritò censetur, quam dum Luteriæ daret operam literis peregit, ea in hunc modum confecta est. Occurrit illi per urbem homo præteriens, ab cultu, & corpore malè habitus, suspirijs, gemitu, pallore, desperationem vndique præferens, quam & Ignatio Deus aperuit; quare

ad socium, perge ait, & hunc affectare; quicquid autem illum parare videris, finge te id quoque animo destinasse; adero interim, & meas partes agam. Abit comes, & desperabundum extra urbem eò consequitur, ubi semotus ab arbitris mortem sibi violentam decreuerat. Hic versis in eum oculis, anxio & ipse similis, & suas ærumnas lamentabiliter dolenti, quærit ex eo quis? qua causa suspiret? cur eum locum capter? ut vitam, inquit, crudelem abrumpam, & semel moriens longum mori absoluam, quo per gradus malorum perpetuos, peius quotidie peteo, impar deinceps tocius fortunis, nulla spe ullius remedij perferendis: & hoc, subdit comes me item diseruciat, vitæ infelicitas quam traho miser, & calamitatibus afflictus, mortemque continuo in solatium quod vnum superest, inclamans, & captans, velut vnum tot aduersorum præmium. His alter iam confidentior, dolori exitum laxare, ac suas retexere, & exaggerare miseras quibus adigeretur ad laqueum; cum superueniens Ignatius, quasi aliquid habens illic negotij, contuitusque quem præmiserat socium, tristem, obrutum malis, & desperati mæroris inditia toto ore adumbrantem; quid rei sit ex eo interrogat: ille hominem graphicè exhibens, certum manu propria interire, alterius clades, & ærumnas, ut si suæ forent Ignatio narrare, easque proferre perdendi sui causas, quas solent extra se positi qui dolent. Tunc vero Ignatius paulatim verbis lenibus solari, dehortari à cœpto, magno affectu intimæ caritatis, docere atque pervincere, quàm esset improvidum, ac stultum breuissimi doloris impatientia, vitam proicere, quasi nihil præterea passuram mali; cum è contrario inde esset pœnas initura cruciatuum æternorum. Ad hæc catus socius sensim manus dare, cæcitatem fateri, veniam à Deo poscere, versusque ad verè desperantem, quem obliquè petebat Ignatius ex eo quærete, quid ei videretur? sibi quidem videri hunc hominem recta suadere, & credi missum diuinitus ad amborum salutem; addere etiam de suo quæ ad restituendum integrè miserum succurrebant. Et processit prorsus ex animo fabula, suæque infelix dementiæ conscius, & compos, cœpit Deo confisus sperare meliora, rediitque in urbem, constanti proposito tolerantia munitus, ad exigendas vitæ huius ærumnas clementius.

Agendi cum feminis, alioqui piis, familiaritas nimia ignem ferè, vel vrentem creat, vel fumum denigrantem. Patri cuidam cum extra socij conspectum ægrotam mulierem audisset confitentem, valuit ad defensionem aliquam quod esset senex verè sanctus, luit tamen exempli noxam publica flagellatione, psalmorum septem recitationi adæquata. Ne apud Indos quidem, ubi tanta paucitas nostrorum, passus est nostros absque sociis ire. Laudauit etiam in nostris senibus munditiem quandam, modestam & grauem, compositi scilicet ornatique animi indicem: contra iuuenes probabat exteriorem cultum neglectui ducere, placendique esse incurios, haud quidem in eo sordidum, aut incompositum aliquid desiderans, sed affectatam diligentiam reprehendens, quæ mollius quiddam, & delicatius saperet. Nouitium igitur cum audiret, singulari extra morem cura, sapone manus expolire,

polire, sedulo in eum intendit oculos, vt sciret simpliori, & innato nitore studio, an periculosa placendi vanitate id ageret.

Dei causa ab Deo secedere; seu contemplandi assiduitatem, conuertendorum hominum occasionibus posthabere, iactura est quæstuosissima. Nana præter meritum operæ, cuius pretium, animæ lucrum est, vbi postea nosmet ad Deum recipimus, multo se in nos effundit largius, quàm si intepefendi metu, solitarij semper nobiscum egissemus; vocabátque hunc, influxus mutui circulum, quo nos Dei amore precando inflammatos, emittit caritas, vt eodem alios incendamus igne; & hæc vice versa institutio illorum, qui erant diuinorum rudes, eorumque ad Deum conuersio facit nos Deo cariores, aptioresque donis eius precatione obtinendis, tametsi quoque nihil obesset quo minus semper in Deum intenti, prodiremus ad opem alijs ferendam; præstat enim hoc vsus diuinæ præsentia, qui Deum vbique in omnibus, & videt præsentem, & diligit.

Qui passim cum hominibus versatur vt eos Deo subiiciat, *in medio nationis prauæ* versari se statuat, valebit hæc illi persuasio ad præuertenda fastidia sordium, quibus vt plurimum inquinantur; vtpote meditato, non ad aurum tractandum, sed lutum venisse; acuet etiam in sui custodia eius curam, ne in se admittat lepram, & scabiem, quibus illos satagit defricare. Prostebatur nihilominus sibi satis integrum non fore, cum aliquo ex Societate, qui lethali teneretur culpa, noctem vnã sub eodem tecto exigere.

Ne cuiusquam factum criminis damnaremus, spectandam aiebat eius mentem, quæ esset sapias proba, & innocens, licet facti species culparetur; vbi vero scelus nimium euidens, bona mente prætexi non liceret, excusandam esse tentationis violentiam, cui aut peius, aut pariter cessuri fuissetus; eius tamen fuit acuminis in rebus passim manifestè prauis, bona mente, & probo reorum consilio eleuandis, vt domi in prouerbium abirent, *Interpretationes Ignatij.*

In cætu sanctorum hominum nequit sceleratas diu consistere, tùm quod sibi vim infert perpetuam, arte coacta simulandi se esse quod non est; tùm quod hunc Deus non diu sustinet. Fuit Romæ frater ex quo frugis non bonæ indicia prodibant, exposuit illa Manareus Ignatio, quærens essetne sacra Eucharistia arcendus; ne abuteretur illa sacrilegè. Minimè vero, inquit, Ignatius, ne ad hoc vsque procedatur, rem Deo permittito, hæc ipsa via reum is deteget: & detexit planè, fuitque illi diuina hostia quod Iudæ panis à Christo acceptus, paulo enim post personam deposuit, eiectusque est è Societate.

Non mutat mores cœli mutatio, & seipsum secum circumferens improbus, vix erit hic quam alibi melior. Quamobrem inquietos, & disciplinæ indociles, spe aliqua emendationis handquaquam Collegiis mouebat, vt qui essent: vbique aduersantes sibi, & turbandi sui, idcirco materiam nacturi quod eundem vbique religiosæ disciplinæ neruum vigere oporteret.

Aiebat sibi vtilē soli, non esse idoneum ad Societatem, quam instituti ratio, salutē alienā haud minus obstringeret, quā suā. Igitur aliquem perspectā inutilitatis ē Societate dimissurus, nihil mouebatur ab iis, qui dicerent saltem illum in Societate saluum fore; nec esse quāstum vnius animā spernendum; erat enim hęc eius responsio, ad hoc illi alios ordines in promptu esse, in eum finem institutos. Magni attamen fecit, summēque vtilēs censuit viros eximia virtute, sed tenui ad iuuandos homines doctrina, illos enim exemplo concionari eloquenter, & vel sui aspectu persuadere probitatem, etiam nonnunquam validiūs, quā qui essent dicendi præsidiis optimē instructi.

Qui præsēt Rectoribus, vel potestatis suā administris, imprudenter agit, si transfert in se illorum curas, iisque vtitur solum, ad ea in opus conferenda quā ipse mandarit. Primum quia Deus peculiari ope vnicuique adest, vt concediti muneris, partes optimē impleat. 2. deinde qui videt sibi præpositum, aratrum & falcem in omnia mittere, omnia illi tacitē remittit; nec ad illa eam industriam, & affectum affert optati euentus, qui potest & solet afferri cum res velut propriā aguntur. 3. Tertid quia experientia muneris, multo vsu, tractantem multa docuerit, quā nequit qui præsēt de suo cerebro hausisse. 4. Quarto loco, multa intercidunt, quorum pendet ex singularibus adiunctis deliberatio, quā certē qui res per se non tractat, non potest cognoscere. 5. Præstat denique, ministrorum si quā errauerint, emendationem seruare sibi præpositos, quā si à ministris ipsos necesse sit postmodum corrigi, legemque ab iis accipere velut eorum, quā iubent imperitos.

Sapius quidem sancti, sed minus prudentes, res magnas rectius ad felicem exitum perducunt, quā prudentiores, verum minus sancti. Nam cum decernendo, Deum adhibeant consiliarium, eiusque toti fiducia nitantur, vias illis ad conficienda negotia aperit, & eorum conatus fortunat. Vt plurimum tamen regendis aliis manca est, & mutila sanctitas si sola fuerit, magno enim præterea iudicio, magna prudentia opus est. Alioqui totius gubernationis administratio transfertur in alios, qui agnoscuntur necessarij ad præuertendos imprudentiæ lapsus, quos solitaria sanctitas ferē non valet deuitare.

Tironum virtuti, maximē iuniorum, periculosa negotia perperam creduntur; nam & ætas in iis ad bonum, & malum facilis; & nouitia pietas, instar gemmarū est in plantis, quæ primo vere, se lætæ ac celeres proferunt, sed fluxæ adeo, vt pæne contactu exarescant. Ab iis quidem sanctus experientia illa seuerē exigebat, quæ constitutionibus indicuntur; nam Societatem inituris, non debet, vt minimum, virtutis solidæ deesse is gradus, qui prorsus ad hoc necessarius. Verum in aliud periculosius certamen illos non mittebat, veritus ne nondum satis firmo pede consistenterent. Vnde per parentum impugnationes constanter deuictas, adscriptos in tyrocinium, procul ab iis femouebat, etiam extra Italiam. Inde illa quoque suauitas, & miseratio

miseratio, cum hominum suavis, aut dæmonum impellerentur ad deserendam stationem; illa item in eos asperitas à quibus aliquid inconsultè, iis in hoc genere, offendiculi poneretur. Patrem enim quendam, & arguit, & castigauit seuerius, quod piis de rebus cum nouitio colloquens, exempla proferret alieni ab nostros instituti, velut, inquit, deessent domestica, & magnæ virtutis homines in Societate, qui possent produci, absque periculo tironis à proposito suo commouendi, afficiendique ad aliud.

Non potest religiosa familia, quæ aliunde non victitat nisi quotidiana stipe, primigenium institutum diu retinere, si asperitatem vitæ, cultu austero nec præferat, nec suam iuuandis aliis operam impendat. Quod eius ad quosdam monitum, vt docet optima ratio, ita res ipsa confirmauit. Mouentur enim ad religiosos piis alendos subsidiis Christiani, vel utilitate animorum quam ex iis percipiunt; vel reuerentia sanctitatis quam iis conciliat austeri cultus, & habitus religiosus horror, summæque asperitatis opinio. Imò & de illo quem, vt libro secundo memini, Hieronymus Natalis initio hæsitans consuluit, Antonio Maioricensi eremita, quod prædixerat Ignatius euenit; Romam enim peregrinatus est anno 1546. suisque cum Ignatio prolixè pertractatis, illum miratus est, haud tamen pariter ab eo probatus; quod pondus in se suscepisset asperitatis tantæ, cui perferendæ nunquam esset futurus. Igitur Natali interroganti, ecquid illo denique visum esset? Respondit non abiturum triennium, quin solitudini, & voluntariis pœnis, valediceret eremita. Cuius responsi prudentiam ratam fecit illa mutatio, ratione illi & experientia præmonstrata, quibus vti tunc in rebus diuinis pro certa regula poterat. Nam cui non adest id robur animi, ac virtutis, vt dilabente corpore sustentare se fortiter valeat innixus corpori animus; is immodica, & cruda sui ipsius afflictatione attritus, & confectus, cogitur eam deserere; cum valetudine per eam amissa, ineptus euadit ad teneritates illas dulcium sensuum fruendas, quibus inter orandum mergebatur, & quas habent pro sanctimonix medulla, qui nihil præterea in ea grandius, excelsiusque norunt suspicere. Sed hæc de Ignatij effatis prudentibus, & sapientia cœlesti sufficiant.

Vulgata statim viri sancti morte, tanta mox confluit veneratura sanctum corpus, omnis generis multitudo, vt vnus ex Cardinalibus ægrè totis suorum viribus turbam periruperit, osculaturus eius manus, & earum tactu consecraturus precatoriam coronam. In templo vero postquam publicè collocatus testatur Fabritius de Maximis nobilis Romanus, se tunc iuuenem, vt erat, & robustum, nullis conatibus per confertam multitudinem valuisse penetrare ad sacrum cadaver; quod propterea validis defendendum fuit repagulis, ne pietas populi vestes illic carnesque detraheret, cum alia quæ eius fuerant, iam sibi vi quadam extorta abstulissent viri auctoritatis præcipuæ. Postquam biduo inhumatum seruari placuisset, Augusti primo post vesperum ligneo inclusum sarcophago, in Societatis templo conditum est quod S. Mariæ de via dicebatur, in sacello maiori, & Euangelij

XXXVIII

Sepultura
Ignatij & im-
pæ mi, aou-
lum.